

17. *Pœna blasphemiae de jure communi canonico.* — Resp. III. Pœnæ blasphemiae aliæ sunt de jure canonico, aliæ de jure civili: de jure canonico imprimis pœna clerici blasphemantis est depositio ab officio, et statu clericali, can. *Si quis*, 10, cau. 22, q. 1. Laici vero blasphemantis pœna de jure canonico est excommunicatio ferenda, cit. can. *Si quis*, ibi: « Si quis, etc. blasphemiam contra Deum usus fuerit, si in ecclesiastico ordine fuerit, deponatur; si laicus anathematizetur. »

18. Dein in blasphemus ulterius statuuntur pœnæ c. 2, h. t. illis verbis: « Statuimus, ut si quis contra Deum, vel aliquem sanctorum suorum, et maxime B. Virginem, linguam in blasphemiam publice relaxare præsumperit, per episcopum suum pœnæ subdatur inferius annotatæ: videlicet, quod in septem diebus dominicis præ foribus ecclesiae in manifesto (dum aguntur Missarum solemniam) blasphemus existens, ultimo illorum die dominico pallium et calceamenta non habeat ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus sextis feriis in pane et aqua jejuret, ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet quoque prædictorum dierum tres si poterit, alioquin duos reficiat pauperes, sive unum. Et si nec ad hoc ejus facultates suppetant, id in pœnam aliam commutetur, cui etiam, si renuerit recipere ac peragere pœnitentiam supra dictam, ecclesiae interdicatur ingressus, et in obitu ecclesiastica careat sepultura. Per temporalem præterea potestatem coactione (si necesse fuerit) episcopi diocesani adhibita contra eum, blasphemus si dives fuerit quadraginta solidorum, alioquin triginta, sive viginti: et si ad id non sufficiat, quinque solidorum usualis monetæ pœna mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus, quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur. »

19. *Et per speciales constitutiones pontificias.* — Præter has pœnas jure communi canonico statutas, alias easque multum graves, per speciales constitutiones contra blasphemos statuere diversi summi Pontifices, in specie vero Leo X. Constitutione supernæ dispositionis, quæ est septima in tom. I. Bullarii Cherubini, inter constitutiones hujus Pontificis: Julii III. *In multis*, quæ est vicesima tertia in dicto tom. I. Bullarii. Pii V. *Cum primum*, quæ est quinta in tom. II. Bullarii Cherub. Et quoniam Bulla-

rium cuius ad manum non est, in odium hujus vitii aliquos paragraphos ex dictis constitutionibus præsertim Leonis X et Pii V per extensum hic subjungimus.

20. *Pœna blasphemantium per Leonem X constituta.* — Et quidem Leo X, loc. cit. § 33, ita disponit: Ad abolendam vero execrabilem blasphemiam, quæ in maximum divini nominis et sanctorum contemptum supra modum invaluit, statuimus et ordinamus, ut quicumque Deo, palam seu publice maledixerit, contumeliosisque atque obscenis verbis Dominum nostrum Jesum Christum, et gloriosam Virginem Mariam ejus genitricem expresse blasphemaverit, si minus publicum, jurisdictionemve gesserit, perdat emolumenta pro prima et secunda vice dicti officii; si tertio deliquerit, illo eo ipso quod de delicto hujusmodi fuerit, convictus, etiam beneficiorum quæcunque habuerit, fructibus applicandis ut infra, unius anni mulctetur, et hoc sit pro prima vice, qua blasphemus ita deliquerit. Pro secunda vero vice si ita deliquerit, et convictus, ut præfertur, fuerit, si unicum habuerit beneficium, eo privetur; si autem plura, quod ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod si tertio ejus sceleris arguatur, et vincatur, dignitatibus ac beneficiis omnibus quæcunque habuerit, eo ipso privatus existat, et ad ea ulterius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere impetrari, et conferri possint. Laicus vero blasphemans, si nobilis fuerit pœna XXV ducatorum mulctetur, et pro secunda vice, L. fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe applicandorum, et aliis ut infra deducitur. Pro tertia vero nobilitatem perdat. Si vero ignobilis ac plebeius fuerit, in carcerem detrudatur, et si ultra duas vices publice blasphemans deprehensus fuerit mitram infamiae per integrum diem ante foras ecclesiae principalis miratus stare cogatur; si vero pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur, ad iudicis deputari arbitrium. In foro autem conscientiae, nemo blasphemiae reus, absque gravissima pœnitentia, severi confessarii arbitrio injuncta, possit absolvi. Qui vero reliquos sanctos blasphemaverit, arbitrio iudicis, rationem personarum habituri, mitius aliquanto puniri volumus. Statuimus etiam ut sæculares iudices, qui contra tales blasphemiae convictos, non animadvertent, eosque justis pœnis minime affecerint,

quantum in eis fuerit: quasi eidem sceleri obnoxii, eisdem quoque pœnis subjiciantur. Qui vero in illis inquirendis puniendisque diligentes et severi fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, et tertiam partem mulctæ pecuniariæ habeant. Quicumque vero blasphemantem audierint, eum verbis acriter objurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contingit, eundemque deferre, vel notificare apud iudicem ecclesiasticum, seu sæcularem intra triduum debeant. Quod si plures dictum blasphemantem simul audierint, simul eum accusare teneantur, nisi forte omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in virtute obedientiæ hortamur, et monemus in Domino, ut pro divini nominis reverentia et honore, in suis dominiis ac terris præmissa omnia servari, et exactissime exequi mandent, ac faciant uberrimam ab ipso Deo tam boni ac pii operis mercedem habituri, similemque annorum decem indulgentiam ab Apostolica sede consecuturi, cum tertia parte mulctæ, qua dictus blasphemus plectetur, quoties tale scelus puniendum curaverint, quam quidem indulgentiam, et reliquam tertiam mulctæ partem accusatori blasphemii nomen deferenti, similiter concedi, et assignari volumus, aliis pœnis contra hujusmodi blasphemos per sacros canones expressis, nihilominus in suo robore manentibus.

21. *Pœna blasphemantium per Pium V constituta.* — Pius V, autem loc. cit., § 33, ita disponit: Ad abolendum vero nefarium, et execrabile blasphemiae scelus, quod in antiqua Lege Deo morte puniri mandat, et Imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem propter nimiam iudicium in puniendo segnitiam, vel potius desuetudinem, supra modum invaluit, Leonis X, prædecessoris nostri in novissimo Lateran. concilio statuta innovantes, decernimus, ut quicumque laicus Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam ejus genitricem expresse blasphemaverit, pro prima vice pœnam viginti ducatorum incurrat, pro secunda pœna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos solvat, et ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui vero plebeius fuerit, nec erit solvendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores ecclesiae constituatur per diem integrum; pro secunda fustigabitur

per urbem, pro tertia lingua ei perforabitur et mittetur ad triremes. Quicumque clericus in hoc blasphemiae crimen incurrerit, pro prima vice fructibus unius anni canonicum et quorumcunque beneficiorum suorum; pro secunda beneficiis ipsis privetur; pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, et in exilium mittatur. Quod si clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur; pro secunda vice carceribus mancipetur; pro tertia verbaliter degradetur, et ad triremes mittatur. Qui reliquos sanctos blasphemaverit, pro qualitate blasphemiae, atque personarum, arbitrio iudicis puniatur.

22. *Pœna blasphemiae de jure civili.* — Resp. IV. Blasphemiae pœna de jure civili est ultimum supplicium per textum *Novell. 77, cap. xi*, ad exemplum legis divinæ in Testamento veteri *Levit. 24, v. 16*, ibi: Qui blasphemaverit nomen Domini, morte morietur, etc. Quam pœnam ultimi supplicii pro gravi blasphemiam præsertim in ipsum Deum etiam statuit Carolus V Constit. crim. art. 106, pro leviori autem, præsertim, si non in Deum, sed B. V. Mariam, vel sanctos fiat, præcisionem vel mutilationem linguæ, fustigationem, carcerationem, mulctam pecuniariam, vel aliam arbitrariam pro diversitate circumstantiarum delinquentis, et delicti.

23. *Quæ quibusdam in locis ex defectu justitiæ, et religionis non observatur, aliis vero in locis adhuc in usu est.* — Et quamvis justissimus rigor pœnarum contra blasphemos pluribus in locis ob invalescentem abusum blasphemandi exacte non observetur, tamen recte monet Clarus, § *Blasphemia*, n. 3, cum aliis ibidem allegatis, id fieri ex defectu justitiæ, et religionis, cum utraque hæc virtus exigat, nil magis puniatur, et terrore pœnæ extirpetur quam blasphemiam, atque vitium omnium maximum. Unde ædem multis in locis adhuc sunt in usu, uti in Bavaria, ubi licet arbitrio iudicis relinquatur, blasphemiam pro diversitate delicti et personarum punire lib. V, tit. VII, (der Lands und Policey-Ordnung.) Tamen experientia habemus, quod in Bavaria plures blasphemii etiam amputatione linguæ et capitis fuerint puniti; justo id exigente arbitrio iudicis.

24. *Qui ex calore iracundiæ blasphemat, pœnam ordinariam non incurrit.* — Illud tamen notandum, quod si quid in plena ebrietate

tate, vel etiam ex calore et impetu iracundiae ortum habeatis ex gravi et justa causa blasphematis, ordinariae poenae non subiaceat, sed mitius arbitrio iudicis puniri debeat, Clarus, *¶. Blasphemia*, n. 6, et Farinac. *Prax. criminal.* quaest. 20, n. 47. Menochius, *de Arbitr. judic.* casu. 37, n. 33, cum communi aliorum, arg. c. 2, h. t. ibi: *Præsumpserit*; quod importat deliberationem, quam ebrii non habent, nec satis habere censentur iracundi, utpote qui nesciunt quomodo, et quid agant.

25. *Si iracundia ex gravi, eaque justa causa proveniat.* — Dicitur autem notanter, ortum habentis ex gravi, et justa causa ut si v. g. vir uxorem in adulterio deprehendens, ira commotus blasphematis; si enim iracundia, ex levi, vel etiam gravi quidem, sed injusta causa proveniat, v. g. si quis juste privatus officio, aut alias graviter punitus, vel ob perditam lusu magnam summam pecuniariam, indeque ira commotus blasphematis, poenae ordinariae, et per consequens etiam ultimo supplicio subjacet: doctores citati, Pirhing, h. t., n. 11. Abbas, in cit. c. 2, h. t. n. 6, et alii communiter.

26. *Blasphemia per sacramenta in his partibus consueta non subjacet ordinariae poenae, bene tamen extraordinariae.* — Notandum in super, illos, qui sine respectu erga Deum et sacramenta, sed vel ex subitanea ira, indignatione, aut ex prava consuetudine in Germania, proh dolor! satis vigente, blasphemant per sacramenta, dicendo v. g. Gotts Sacrament. Gotts tausend und Million Sacrament, etc., poenas ordinarias non incurrere, bene tamen extraordinariam, quae in Bavaria nostra per iudices magis timentes Deum omnino imponitur, juxta dispositionem statutorum Bavariae, cit. lib. V, Tit. VII, art. 2, (der Lands-und Policey-Ordnung.)

27. *Judex blasphemiae haereticae est ecclesiasticus.* — Queritur III. Quis sit iudex blasphemiae? Resp. I. Si blasphemata est haeretica, seu habens conjunctam haeresin, iudex illius est solus ecclesiasticus. Patet conclusio ex dictis tit. VII, de Haeretico, ubi in causa haeresis solum ecclesiasticum competentem iudicem esse, clare probatum habetur. Limita tamen conclusionem juxta dicenda n. 29.

28. *Non haereticae blasphemiae est mixti fori: et quomodo?* — Resp. II. Si blasphemata non haereticae sed simplex est juxta

dicta n. 16, mixti fori, et datur locus praevencionis, ita tamen, ut si unus v. g. iudex ecclesiasticus illam punit, per hoc non impediatur iudex saecularis, quin blasphemum etiam in suo foro punire valeat, ac e contra Farinac. q. 20, n. 39. Barbosa, de *Offic. et potestat. Episcop.* Allegat. 51, n. 93. Abbas, in c. fin. h. t. n. 9. Sanch., lib. II, *Moral.*, cap. xxxii, n. 37, et alii, arg. c. 2, h. t., ibi: Per episcopum poenae subdatur, et per temporalem potestatem mulctetur.

29. *Judex saecularis etiam haereticalem blasphemiam in his partibus punit.* — Notandum tamen, consuetudine in his partibus passim vigente iudices saeculares etiam blasphemiam haereticalem iudicare et punire, idque ut apparet, ideo, quod etiam blasphemiae haereticales, v. g. Deus non est justus, ordinarie potius ex mente blasphemata, quam haereticali, et errore intellectus fiant. (ADNOTATIO XXXIX.)

#### TITULUS XXVII.

##### De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

1. *Ratio ordinis.* — Unum ex clericorum gravibus delictis est, si violant censuras, dum nempe in excommunicatione, suspensione, vel interdicto existentes aliquem actum ordinis exercent, aut in loco interdicto divina celebrant. Ob quod delictum, quia poenas contrahunt.

2. *Poenae censuram violentis clerici I est depositio ab officio et beneficio.* — Queritur I. Quas poenas incurrant clerici censuram violentes, seu qui in excommunicatione, suspensione, vel interdicto existentes aliquem actum ordinis exercent? Resp. I. Hujusmodi clericos sequentibus subjici poenis. Et quidem I. Incurrant poenam depositionis ab officio et beneficio, non quidem ipso jure, sed sententia iudicis inferendam. Abbas, in c. Clerici, 3, h. t. et ibi Ancharanus, Hostiensis, Barbosa, et alii, arg. cit., c. 3, h. t. ibi: Clerici autem, si qui a suis, aut etiam de mandato Romani Pontificis ab alienis episcopis interdicti, vel excommunicati, ante absolutionem divina officia celebraverint, nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuae depositionis sententiam pro

ausu temeritatis incurrant. Quamvis enim hic textus de solis excommunicatis et interdictis loquatur, tamen Glossa communiter recepta in cit. c. Clerici, h. t. *¶. Moniti*, hanc poenam etiam ad suspensos extendit.

3. *Quae infligi potest ante omnem monitionem.* — Porro haec poena statim in contingenti, etiam absque ulla admonitione praevia imponi potest reo, Glossa citata, et ibi Abbas, n. 2, arg. c. *Latores* 4, h. t. Nec obstat, quod cit. c. Clerici, 3, h. t. dicatur: Nisi moniti sine dilatione respiscam. Respondetur enim, per hunc textum plus non indicari, quam quod episcopus possit, si velit, prius monere reum, eique si monitus statim se emendet, et gratia dispensationis hanc depositionis poenam remittere, Abbas loc. cit. Pirhing h. t. n. 3.

4. *II. Qui in excommunicatione existens celebrat, privatur beneficiis ante omnem sententiam.* — II. Poena est, quod si in excommunicatione existens divina celebret, ipso facto incurrat privationem beneficii fraternitati 6, h. t. ibi: Presbyteros autem, et alios clericos, qui pro suis excessibus a te nexibus anathematis canonice innodati praesumpserint, vel praesumunt officia celebrare divina, rationabiliter poteris omnibus beneficiis ecclesiasticis spoliare; quod ultimum verbum spoliare indicat sententiam jam latam, ita ut episcopus solam juris executionem facere debeat, ut post Tiracquellum in l. *Si unquam* 8. C. *De revocand. donat. ¶. Teneantur*, n. 167, bene advertit Barbosa Fraternitati, 6, h. t. Ratio est, quia cum talis clericus ipso jure sit irregularis, consequenter ad obeunda munera beneficii inhabilis, merito beneficii privatur, arg. c. fin. *de Rescriptis* in 6.

5. *III. Poena censurati actum ordinis exercentis est irregularitas ipso facto incurrenda.* — III. Poena illius, qui suspensus, interdictus, vel excommunicatus actum ordinis exercent, est irregularitas, quae ipso jure contrahitur. Communis et certa ob jura clara. Et quidem de suspensio patet ex apostolica 9, h. t. c. 1, § fin. *de Sentent. et de re Judic.* in 6, ibi: Quod si in suspensione durante damnabiliter ingesserit se divinis irregularitatis laqueo se involvet. Concordat c. 1, § fin. *de Sentent. excommun.*, in 6. *De Interdicto* habetur, c. *Is cui* 20, eod. in 6, ibi: Is cui Ecclesia interdictus est ingressus, etc., irregularis elicitur, si contra interdictum auctusmodi divinis in ea se ingerat. De excommunicato autem textus sunt in can. *Si*

*quis episcopus*, et seq. *cau. 11*, q. 3, juncto c. *penult.*, et ult. h. t.

6. *Ad quam tamen contrahendam requiritur primo, ut censuratus exerceat verum ac proprium actum ordinis. Actus ordinis ad propositum qui sint, et qui non?* — Resp. II. Ad hoc ut censurati incurrant irregularitatem, sequentes requiruntur conditiones. Prima est, ut verum ac proprium actum ordinis exerceant, cujusmodi est celebratio Missae, v. g. collatio sacramenti, ordinis, confirmationis, administratio extremae unctionis, etc., quia etsi censuratus graviter peccet, tamen irregularitatem non incurrit solum exercendo actus jurisdictionis; qualis v. g. est dispensatio in votis, juramentis, absolutio a censuris, si fit absque stola, et aliis ceremoniis; praedicatio verbi Dei, assistentia matrimonii; quia omnes hi actus ordinis non sunt; qualis tamen esset, et irregularitatem trahere, si censuratus sacerdos sponsis solemnem benedictionem impertiretur, c. 1 et c. *Vir autem* 3. *De secundis nuptiis.* Suarez, *de Censuris*, disp. 11, sect. 3, n. 18. Tales etiam forent collatio baptismi cum solemnitate; cantatio Evangelii cum stola. Epistolae cum manipulo, etc. Non item cantatio Evangelii sine stola, et manipulo; collatio baptismi privata, etc., quia illi a solis ordinatis vi ordinis, isti vero etiam a non ordinatis exercentur. Navarrus, *Manual.*, cap. xxvii, n. 244. Sylvester *¶. Irregularitas*, q. 13, dict. 1 et 4.

7. *Suspensus et excommunicatus vitandus irregulares fiunt, si absolvunt aliquem sacramentaliter, etsi nulliter agant.* — Porro inter actus ordinis reputatur etiam absolutio sacramentalis, quae fit a suspensio, vel excommunicato etiam vitando; quamvis enim hi utpote jurisdictione privati invalide absolvant, nihilominus, quia quantum in se est, exercent actum ordinis, cum idem faciant, quantum in se est, quod alius, irregularitatem contrahunt, sic ut ille, qui rebaptizando invalide agat, et verum baptismum non conferat, can. *Confirmandum*, 59, dist. 50, can. *Afros*, 3, dist. 98, c. *Ex litterarum* 2, *de Apostat.*

8. *Objectio.* — Nec obstat, si dicatur, ad incurrendam irregularitatem requiri actum in suo genere perfectum, uti patet in mutilatione, et homicidio, quod solummodo attentatum, irregularitatem non inducit, nisi etiam in actu ipso sit completum, per dicta tit. XII. *de Homicid.*, § 2. Nam contra est,